

atq; concauitatibus repleta, & sic dicunt, aquas cum tota terra permixti fieri, & in concauitatibus illis recipi, vnde fit, vt minor pars aque, quã sit terra, remaneat supra terram, quare mirum non est, quod amplius aqua terram obruere nequeat. In quam sententiam multi Peripatetici Aristotelem trahere conantur. Verum etiam si concedamus concauitates ingentes in terra, impossibile est, aquam decies maiorem esse ipsa terra; Hac enim ratione, quãuis totus globus terrenus esset aqua, fieri non posset, quin maior portio aque, quam sit terra, existeret supra terram. Accedit etiam, quod multo minor sit aqua quam terra, vt postea ostendemus. Omnes igitur hæ sententiæ & rationi, & experientijs manifestissimis repugnant, quod magis perspicuum fiet, cum de rotunditate terræ & aque egerimus. Quapropter modus, quo segregatæ fuerunt aqua, vt appareret. Arida, magis mihi placet is, quem explicat S. Ioan. Damascenus sicnna auctoritatis apud Theologos vir, lib. 2. de orthodoxa fide cap. 9. & 10. eumq; sequitur Iacobus de valentijs episcopus: Terram nimirum a Deo opt. Max. perfecte rotundam, ac globosam, absq; ullis concauitatibus, vallibus, montibus, & eminentijs esse conditam, totamq; aquis circumdatam: At vero postea, cum Deus dixit [congregentur aqua in locum vnum, &c.] ob vitam animalium quorundam diuino iussu concauitates in terra factas esse, in quas aqua tanquam in suas congregationes conuenerunt, variaq; maria in diuersis terra partibus exorta sunt; ob eandemq; causam ex partibus illis terræ extractis montes esse factos testatur. Huic sententiæ nonnulli adiungunt, aquas in principio mundi fuisse rarissimas, sed postea iussu Dei fuisse condensatas, receptasq; in dictis concauitatibus, vt mirum non sit, quod minores sint quam terra. Quomodocumq; deniq; id factum sit, disputandum alijs relinquamus; nobis autem nunc certum sit, terram & aquam vnum efficere globum, quod quidem paulo infra demonstrabitur ex varijs experientijs, atq; hanc esse causam, cur iam aqua totam terram non ambiat, immo nec possit ambire.

SEXTO ac vltimo docet, omnia elementa præter terram (quæ vt centrum mundi ponderositate sui magnum extremorum motum, nempe calorum, vndique equaliter fugiens, rotundæ spheræ, hoc est, mundi medium possidet) existere mobilia. Quod nõ sic intelligas, quasi nullo modo terra sit mobilis; Hoc enim falsum est, cum extra suum locum posita maximo impetu ad naturalem suum locum recurrat: Sed
quod